

*Annuntiavi vobis mysterium Christi crucifixi.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Corínthios

2, 1-5

- <sup>1</sup> **E**go, cum veníssem ad vos, fratres,  
veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ  
annúntians vobis mystérium Dei.
- <sup>2</sup> Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos  
nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum.
- <sup>3</sup> Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo  
fui apud vos,
- <sup>4</sup> et sermo meus et prædicátio mea  
non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis  
sed in ostensióne Spíritus et virtútis,
- <sup>5</sup> ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum  
sed in virtúte Dei.

Verbum Dómini.